Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 221
Quelle:
Copyright:



qui Provincialis, ut vocant, *Franciae* obiit a. 1321. relictis *Moralitatibus* in S. Biblia, ſive, ut volunt Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 548. *Poſtillis*, e quibus poſtea *Moralitates* excerptae fuerint. Id, quod veri ſimile ſit cum e *Codicibus mſſ.* quos ibidem excitant, tum e formula noſtra: *poſt fratrem Jacobum*, quaſi dicas, ſpicas in ejus agro lectas. Convaleſcit id e collatione; adjacet enim mihi Editio perrara *Operis Moralitatum preclariſſimi Fratris Jacobi de luſanna* &c. *Lemouicis* 1528. 8. ad cujus calcem hae *Moralitates a Poſtillis excerte* dicuntur. Quamvis vero non idem hujus Editionis, ac noſtri Exempli Excerptor fuerit, manifeſte tamen adparet, utrumque ſuas in eodem agro ſpicas legiſſe. *Poſtillae* ipſae lucem nunquam videre, neque integrum earum Exemplar nactus fuiſſe videtur *Lemovicenſis* Editor ille, qui *Moralitates in Prophetas minores* omiſerit, quibus pollet Codex noſter a *fol.* 219. Quamvis, ne quid diſſimulem, et *Joel* initio, et *Habacuc* fine, et *Oſee* utrinque mulctatus ſit. Quam parum etiam Noſter diſſimulaverit, argumento ſit Concluſio *Proverb. fol.* 209. *Sic multi intrant ouile eccleſie per multas fraudes, ſed cum optinent, bonos opprimunt et ſepeliunt, malos exaltant et nutriunt. Nota de milite normanno, qui uerberabat* (canes) *leporarios et defendebat lupum contra eos. Nota truffam* (jocum) *et applica.* Item Concluſio *Habacuc fol.* 268. p. 2. *Ecce iſte coopertus eſt auro et argento. Et omnis ſpiritus non eſt in uiſceribus eius. Hoc poteſt dici de multis in eccleſia. Cooperti ſunt auro et argento propter dignitatem quam habent et tamen nil ſpiritualitatis habent in ſe. Nota factum 1. Reg. 19. quomodo nuncii regis contenderunt invenire david. Et inuenerunt ſtatuam et pellem piloſam caprarum ad caput eius et hoc totum fecerat michol. Applica ad canonicos et prebendatos in eccleſia.*

## CXLVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 29
Folior. 418. f. per duas columnas bene ſcriptus et rubricis diſtinctus e memorati *M. Thomae Wölfel de Wuldersdorf* Legato continet *Nicolai de Lira* O. M. *Poſtillas in Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Eccleſiaſticum* et *Pſalterium.* Ad oram infimam p. ult. *ego ſigismundus* (Puchperger) *finivi martini 1454.* Saepius has *Poſtillas* et ſeorſim, et cum *Bibliis* gloſſatis typis vulgatas fuiſſe, jam non ſemel diximus.

## CXLVIII.

Codex chartaceus membranis U. 37
immixtis lat. Sec. XV. Folior. 412. f. per duas columnas probe ſcriptus et rubricis diſtinctus, legatusque olim a noto *Thoma Haſelbachio* Collegio Ducali *Vien.* ut praevie notatum eſt, hunc praefert Titulum: *Expoſicio bugonis poſtillatoris ſuper Proverbia Salomonis.* Ita deinceps in *Eccleſiaſten,*